

# CALETES ET BONONIENSES.

**D**E hoc tractu Bononiensi sic dicit Robertus Cœnalis, de re Gallica libri. II. Perioche. III. De Gessoriaci Morinorum portu rectè cum Meiero dixerim, verè dici Bononiam maritimam, à qua ad Douerium portum Angliæ, breuissimus est traiectus. Gessoriacum autem nauale (quod falsò Gandauum Bilibaldus affirmat) potius crediderim esse Castellum, nunc Cassel. Sunt, qui alio nomine Petressam vocant, & Scalas, vulgò Scales. Porro ex Bononiæ situ facile est coniectare, an Iccius portus dici debeat. Qua in re ne quis hæsitet, illud ex Strabone sciendum, Interiectum maris ab Iccio in Angliam, trecenta viginti, nec amplius, stadia complecti; quæ ex æquo constituunt miliaria quadraginta. Porro Tabulæ recentiores designant à Bononia ad Douerium miliaria Anglicana sexdecim, nempe Italicis longiora, à Calesio verò octodecim. Quò liquido constat à Bononia in Angliam traiectum esse breuissimum. Differunt itaque portus Gessoriacus, & Gessoriacum nauale: quod nouissimum si quis Casletum dixerit, nolim cum eo contendere. Hæc ille. Hanc ipsam Bononiam his verbis depingit Arnoldus Ferronius, qui Pauli Æmylij historiam Gallicam ad sua vsque tempora deduxit. Est autem Bononia & inferior, quam vocant, & superior. Bononia inferior, vicus non septus mœnibus ante Anglorum aduentum; Ibi fanum Diuo Nicolao Sacratum, & aliud Franciscanorum Sodalium. Mare Anglicum vicum alluit: prope Fanum sodalium, quod non longe abest à mari, facillimus traiectus in Angliam. Abest à Bononia superiore centum ferè passus, & eò quid fortè amplius. At Bononia superior, cincta mœnibus validissimis. Ibi fossæ præaltæ, muros ambientes. Totus ille locus sabulosus, ex eo genere, quod sabulum feruens maritimi homines vocant. Vnde Bononiæ nomen à feruenti sabulo, Gallico nomine inditum putant, tametsi vetus esse nomen ex Amm. Marcellino esse videamus. Hactenus Ferronius.

## VEROMANDVI.

**H**Vnc tractum, quem olim Veromandui inhabitauerunt, hodie adhuc retento antiquo nomine VERMANDOIS vocant. Hinc duo flumina Soma & Schaldis originem sumunt. Hic olim teste Roberto Cœnali fuit Augusta Veromanduorum, nunc diruta, restante pro reliquiis Cœnobio, sedes olim Episcopalis. Vide de iis populis sententiam Petri Diuei, in libello antiquitatum Gallie Belgicæ.







